Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3217

Quelle:
Copyright:

edidit, conſule. Neuter tamen cognominis *Samarienſis* meminit. An illud a *S. Maria*, titulo fortaſſe Eccleſiae *Calentianae*, quam *Henricus* aliquamdiu curavit? Quod illum in *Cod. Taurin.* male *Rigetum* dici pronunciet *Mazzuchellius*, mirari ſubit; cum enim *Rigo* ex *Henrico* fecerint Itali, ut multis exemplis oſtendi poteſt, quis Diminutivo *Rigeto* vel *Rigbetto* indignetur.

XVII. *fol.* 240. Tractatus Aſceticus *de XII. Gradibus Humilitatis* et totidem Gradibus iis obpoſitis Superbiae, ſine Titulo et Nomine Autoris, hoc initio: *Diſcite a me quia mitis ſum et humilis corde. Matth. 11. Ecce magiſter tuus amator tuus deſiderium anime tue dei ſcilicet filius ſapientia patris que ex ore altiſſimi prodiit* &c.

XVIII. *fol.* 276. Tractatus vel Adnotata potius *de Dilectione Dei et Proximi deque Decalogo, officiis Hominis, Peccatis et Confeſſione*, pariter absque Titulo et Nomine Autoris. Initium: *Diliges dominum deum tuum — Matth. 22. Diuina ſcriptura licet ſit plena diuinis preceptis, tamen quicumque homo habens vſum racionis vult venire in regnum celeſte* &c. Multae hinc inde lacunae, ut adeo videantur prima Cogitata in chartam conjecta pro Rudium inſtitutione.

XIX. *fol.* 357. Ejusmodi Adnotata lingua *Germanica* de Methodo Confitendi et Officiis Chriſtiani profluentibus e Decalogo in ordine ad rite de Peccatis confitendum, quae incipiunt: *Das erſt das da gehort vnd not iſt zu ayner fruchtpern peicht, iſt das die dy da peichtig wellen werden* &c. Charactere prorſus difficili deproperata.

XX. *fol.* 413. Sermo Anonymi in illud *Matth.* 6. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire* hoc initio: *In illo euangelio ſpecialiſſime docentur religioſi cauere auariciam, tum quia ſpeciali voto ſe aſtrinxerunt ſeruire domino deo, tum quia omnia bona temporalia ſunt eis aliena* &c. Sed mox orationem partitur: *Primo dicenda ſunt aliqua in generali de ipſa auaricia. 2° ſpecialiter de auaricia religioſorum.* Pars prior multo ſuccinctior. In ſecunda tria diſtinguit Eccleſiae tempora Noſter: primum ab Apoſtolis ad *Conſtantinum* M. Secundum ab hoc ad *Carolum* M. quo tempore *quinque ſolum Papas reprehenſibiles in vita ſua* fuiſſe ait. De tertio ſic: *Tercium tempus malum incepit Anno domini 874. tempore iohannis pape octaui et usque modo declinat in peius ſemper. In quo caritas valde refriguit, ut predictum fuit in euangelio, et iniquitas plus ſolito incepit abundare. tunc enim gladius et hereſes ex magna parte ceſſarunt, ſed ambitio auaricia gula luxuria ſimonia pluralitas beneficiorum et cetera vicia frena laxantes amplius quam gladius et hereſes chriſtianam fidem usque modo perſequuntur* &c. Tum Fratres Mendicantes et jactata ab iis *altiſſima paupertas* maxime vellicantur. Non ante *Johannem* XXII. ſcripſiſſe Noſtrum inde liquet,